

Meibom. Chron. Riddagshuf. ist
durch Versetzen beider Bände in zwei
Teile getheilt worden, in dem 1. 2. Schrifte
an den Autoren dazwischen gebunden sind.
Münch.

- Inhalt:
- 1.) Petrus, Chronica Portense.
 - 2.) Meibom, " Riddagshufense, 1. Teil
 - 3.) Schenck, Diss. hist. de Fridrico duce Brunno et Lunde.
electione in imperatorem Rom.
 - 4.) Petrus, Tract. quo maiores primum consilio fundarint
coenobia.
 - 5.) Meibom, Bardovicium.
 - 6.) " , Chronica Riddagshufense, 2. Teil.

Sammelband M 9 86

3. 2

DISSERTATIO HISTORICA
DE
FRIDERICI,
DVCIS BRVNSVIC.
ET LYNÆB.

IN
IMPERATOREM ROMA-
NUM ELECTIONE,

QVAM,
PRÆSIDE, *Nr 294*
VIRO

NOBILISSIMO. AMPLISSIMO ET EXPERIENTISS.
DN. HENRICO MEIBOMIO,
MED. D. E. JUSQVE ET HISTORIARUM
PROF. PUBL. ET ORDIN. NEC NON ARCHIA-
TRO GUELPHICO
PRÆCEPTORE AC HOSPITE SUO
MAXIME COLENDO

PUBLICE VENTILANDAM PROPONIT

Ad diem Novembr. Ao. 1682.

A. & R.

ACHAT: WILHELM SCHENCK.

Eqv. Brunsv.

HELMESTADII,

Typis GEORGI WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.

3

DISSERTATIO HISTORICA
DE
FRIDERICI
DUCIS BRUNSVIC
ET LYNAB.
IN
IMPERATOREM ROMANUM
ELECTIONE
QUAM
PRAESIDI
VIRI
MOLESTISSIMO MILESSIMO ET PRAEFECTISSIMO
DN. HENRICO MEIBOMIO
MED. D. P. S. S. O. V. E. T. H. I. S. T. O. R. I. A. R. U. M.
PROF. P. B. I. L. I. T. A. T. I. S. I. N. O. N. A. R. C. H. I. A.
P. R. O. G. R. A. P. H. I. C. O.
PRAECEPTORE AC HOSPITE SUO
M. A. T. H. E. O. L. O.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. I. N. D. A. M. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S.
A. S. B.
ACHAT. WILHELM. SCHENCK.
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. I. N. D. A. M. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S.
T. Y. P. O. G. R. A. P. H. I. C. O. S. T. R. O. P. H. A. N. I. A. C. H. T. Y. P. O. G.





THESIS I.



Um ad intelligendum Imperii Germanici statum maximè sit necessarium, ut Principum Familiarum origines, incrementa & prærogativæ accurate cognoscantur, tanto quidem majori cura de SERENISSIMA BRUNSVIC. ET LUNÆBURGENSIUM DUCUM DOMO notitiam aliquam acquirere mihi volui, quod non tantum illa felicitas mihi contigerit, ut sub tantis Principibus natus gentilitia feuda à tam Illustribus Dominis subjectissimus vasallus habeam, sed etiam, quod non ulla temerè Principum familia occurrat, quæ pluribus prærogativis palmam reliquis aut præripiat, aut dubiam faciat.

II.

Quæ enim Regiæ proxima est Ducalis Dignitas, non tantum in hac domo per plura, quam in ulla alia, secula hæsit: repetenda, non ab Ottone, Pueri dicto, sub Friderico II. Cæsare A. 1235. primo Duce Brunsvic. & Lynæburg. creato, sed à Welfo IV. Henrici Nigri Patre, Henrici Superbi Avo, Henrici Leonis Proavo, Wilhelmi Crassi Abavo, Ottonis Pueri Atavo. Is enim (Welfus) ab Henrico IV. Imp. Goslariæ A. 1071. Dux Bavarix creatus est, ut notat ævi illius disertus & accu-

ratus scriptor, *Lambertus Schafnaburgensis* ad annum modo dictum. Ab illo igitur tempore Duces fuerunt Welfi posterius ad nostra usque tempora: nec minus Welfus ille Azone Marchione Atestino genitus majoribus in Italia potentibus lateque dominantibus ortus est.

III.

In origine quidem Atestinorum Principum describenda Historici non conveniunt inter se, deficientibus monumentis, ex quibus clarè deduci possit: aliis proinde ab Italis, Romanisque: aliis à Germanis: aliis à Francis ortus eorum repetentibus. Ex quo ipso, quod scilicet tam potentis familiæ origo ignoretur, antiquitatis non leve signum desumere licet. Sufficiat interim nobis, quod in *Alphonsi Ferrariæ Ducis Historia P. Jovius* in principio scribit, *omnium, quæ in Italia certum & diuturnum Principatum tenuerint, vetustissimam existimari.* Videas tamen nonnullos hîc multum sibi indulgere, dum vel fabulosa adducunt, vel verosimilia quidem, nullis tamen certis documentis probata, supplente ingenio jacturam, quæ à defectu Historicorum orta. Ut autem in omni rerum gestarum annotatione, cujus anima veritas, turpe est falsa admiscere, & citra certam scientiam quicquam dicere, ita imprimis in Genealogiis concinnandis tolerari id minimè debet: indignissimum vero est, Illustribus Familiis, evidenti & omnibus nota Majorum gloria splendentibus, ex vanis conjecturis inferere alios; hoc plerumque mendacii præmio, ut fraude deprehensa, deinde etiam nec ea fidem inveniant, quæ maximam merentur.

IV.

Nondum igitur satis sese mihi approbare potuerunt,

runt , quæ de Atestinorum Principum familia vulgo circumferuntur, nec etiam ea, quæ de illorum, & Ducum Brunsvic. Regia seu Imperatoria origine , ab ipso Carolo M. recta quidem linea masculina, *Gabriel Bucelinus in Germania Topo - Chrono - Stemmato - graphica. part. 3. p. 39.* & alibi, notavit. In eo quidem omnes conveniunt, nullo etiam superstite dubio, *Welfi IV.* Ducis Bavaricæ patrem fuisse *Azonem* Atestinum. Huic deinde *Hugonem* Marchionem Tusciæ, & Hugoni patrem dant iterum Principem Tusciæ, sed quem diversis nominibus appellant, *Obertum, Albertum, Albertarium, Sigisbertum, Sigisbertarium.* Hunc *Bucelinus* diligentissimus, quamvis sæpe nimis audax, Genealogus, putat esse *Hubertum* illum, Tusciæ Principem *Luitprando* memoratum, qui filius *Hugonis*, Regis Italiæ aliquamdiu potentissimi. Hugonem vero idem *Bucelinus*, secutus forte *Sigonium l. de regno Ital. ad A. 926.* & *Onuphrium Panvinium l. 3. Princip. Roman. p. 181.* *Chytræum*, aliosq; Lotharii Comitis Provinciæ seu Arelatensis F. Lotharii Regis Lotharingiæ N. Imperatoris Lotharii Pro N. Ludovici Pii Ab N. Carolo M. Adnepotem facit. Ut ita his suppositis, videatur *Welfi*, Ducis Bavaricæ, & omnium hodie Ducum Brunsvic. & Lyneb. origo Carolina, non interrupta masculina serie, satis esse manifesta.

V.

Verum objicit nonnulla Nobiliss *Job. Justus Winkelmannus* Genealog. Brunsvic. p. 38. 39. quibus conjecturas *Bucelini* infringere conatur, quæ tamen nec probare nunc possum, nec refellere animus est. Provocat enim *Bucelinus* ad quædam Diplomata sibi visa, ex quibus *Sigifridum, Albertum, Ubertum, eundem*

A. 3.

esse,

esse, variantē tantum manu scriptorum, probare vult: cum autem illa publicè non extent, iudicium interponere difficile est. Frustra tamen negatur, Hugonem Regem Italiae habuisse filium, qui Hubertus dictus & Marchio Tusciae fuerit. Cui enim potius credemus, quàm *Luitprando*, qui non illo tantum tempore vixit, sed etiam inter ministros aulae Hugonis Regis fuit, quique integros penè libros historiae hujus Hugonis impendit. Ita verò ille *Historiar. lib. 3. c. 5.* de Hugone. *Habuerat sane tum temporis ex quadam muliere nobilissima, vocabulo Wandelmoda, filium, nomine Hubertum, qui nunc usque superest, & Tusciae provinciae potens Princeps habetur, cujus acta suis in locis, domino propitio, exponentur.* Quod si acta illa extarent, de posteris Huberti fortassis res esset clara, & veritas collocari in aprico posset: illis interim deficientibus sufficiat Hubertum Hugonis filium asseruisse, testimonio tam indubitato. At *Bucelinus*, quando in *German. Topo-Stemmato-Graph. Part. alt. in Histor. Agilolfing. p. 388. & 396.* Hugoni Regi ex conjugē Marocia Alda hunc filium natum scribit, errat, & à *Luitprando* refellitur.

VI.

Deinde de Hugonis Regis origine Carolina per ferriem Masculinam multa etiam adhuc apud me sunt dubia, quamvis clarissimos & diligentissimos Historicos Italiae *Sigonium Onuphriumque* illa sententia habeat Autores, & *Bucelinus* scribat, *neminem mortalium buc- usque esse repertum, qui Hugonem Lotharii III. filium neget.* Luitprandus, quod mirum est, Hugonis Regis patrem nullibi nominat, sed matrem tantum, Bertam, quæ

quæ deinde Adelberto Tuscorum Marchioni præpotentissimo nupserit: interim tamen ex *Francorum genere* fuisse l. 3. c. 5. & *Provincialium & Arelatensium potentissimum comitem* l. 3. c. 3. annotat, sed nulla adjecta mentione, quod ex Caroli M. profapia fuerit: neque legas, Principem illum ambitiosissimum, & regno Italiæ Romanoque inhiantem unquam suis conatibus à genere Carolino colorem, aut titulum à Magno Atavo petiisse, facturum sine dubio, si masculina serie à Carolo M. descendisset. Alii igitur Hugonem quidem à Carolo, sed per matrem *Bertam* deducunt, quæ *Thetbaldo* Arelatensium Comiti nupta filium Hugonem ipsi pepererit, Bertæque patrem dant Lotharium Regem, avum Lotharum Imperatorem, Proavum Ludovicum Pium, Abavum Carolum M. Et hinc fortassis est, quod Ludovicus IV. Imp. in Diplomate Remegario Episcopo Valentensi dato, *inclytum Ducem ac Marchionem Hugonem, propinquum suum vocat*, quippe qui matrem habebat Hermingardin Ludovici Balbi filiam. Vide Hugonis Regis genus deductum in Tabula apud *Blondellum in plenior adsertion. Carolin. sang. p. VI.*

VIII.

Rejectis igitur licet illis, tanquam incertis, tamen satis constat, à longo tempore Serenissimorum Ducum nostrorum Progenitores, Duces & potentes per Europam Principes fuisse. Id vero etiam notari meretur, frequenter admodum per matres, qua Regium, qua Imperatorium sanguinem in filios nepotesque transiisse. Nam Wulfhildis, Magni, Billingorum ultimi, Saxonix Ducis filia, quam Henricus Niger, Dux Ba-

Bavariæ (non Henricus superbus , ut *Pfannerus l. de præcip. German. gent. c. 4. p. 189.* scribit) uxorem duxit, & cum ea primus Saxoniarum terrarum partem aliquam accepit, à Matre & Avia paterna Regio Hungarico & Normannico Stemmate oriunda fuit. Henricus verò, Superbus dictus, Bavariæ item & Saxoniarum Dux, Gertrudin, Imperatoris Lotharii & Rixæ, cujus Protritavus Henricus Auceps Imperator, filiam, ex eaque Henricum Leonem, qui vicissim ex Mechtilde Henrici II Regis Angliæ filia, Wilhelmum, & ille ex Helena, Waldemari I. Daniæ Regis filia, Ottonem, Puerum dictum, genuerit. Ut ille quidem Otto, primus Dux Brunsvic. & Lynæb. omniumque dein Ducum nostrorum progenitor, Avum Regem Daniæ, Proavum Regem Angliæ, Abavum Imperatorem Romanum habuerit.

IX.

Chronica Welforum & Urspergensis Abbas, Welfo etiam, Henrici Nigri patri, uxorem dant Reginam Angliæ, Juditham : id quod tamen tolerari nequit. Fuit enim uxor ejus Juditha quidem appellata, Baldvini Pii Comitis Flandriæ ex Adela Francica filia, sed nunquam Regina Angliæ. Nupsit illa primo Toctico, Haraldi Regis Angliæ, fratri majori natu, cui jure imperium debebatur, ab Haraldo tamen præreptum, in quem proinde Gvilelmum, Normanniæ Ducem, Mathildæ, uxoris suæ Judithæ sororis, maritum concitavit, qui deinde sub nomine Gvilelmi Conquestoris regnum Angliæ tenuit, ut hujus quidem uxor Mathildis, non autem soror ejus Juditha, Regina Angliæ fuerit. Interim illa cum Regia Anglicana Domo per Hen-

Henricum Leonem & Mathildem conjunctio, cujus antea memini, indubitata est. Henrici enim Leonis uxor secunda Mathilda Henrici Regis Angliæ filia fuit, soror Johannis Regis, amita Henrici Regis & Richardi Imperatoris Romanorum electi. V. Mathildis Genealogiam apud *Davidem Blondellum Genealog. Francic. præfat. Apologetic. xxxv 4.*

X.

In conjunctione Henrici Leonis posterorum cum Regiis filiabus Danicis, turbant quidem nonnihil Danici Historici, *Huitfeldiusq;* & illum secutus *Job. Isaac. Pontanus* in Historia Danica, non tantum in nominibus errant, sed in re ipsa quoque, cum tamen ex Annalibus nostris clara sint omnia. Id enim certum est, Richensem, (quam male alii nominant Mathildam aut Gertrudin) Henrici Leonis ex prima uxore Clementia Zaringia filiam, Friderici Sveviæ Ducis viduam, altero matrimonio locatam esse Canuto, Waldemari I. filio, dein Regi. Hoc quoque certum, Helenam (quam alii Adelhaidin vocant) Waldemari I. Regis filiam, nupsisse Wilhelmo Crasso, Henrici Leonis F. eique peperisse Ottonem, omnium Ducum nostrorum progenitorem. At verò Waldemarum II. Ingeburgam, Henrici Leonis filiam, uxorem habuisse, falsum est, cum nulla Annalibus nostris nota sit Ingeburga, Leonis filia. Id tamen invenio, Ottonem V. Imperatorem fratris sui Henrici Palatini filiam Waldemaro despondisse: an tamen domum ea ducta fuerit, non ausim dicere, cum deinde Margaretham ex Regio Bohemorum sanguine, & postea Berengariam Flandricam uxorem habuerit. Errat igitur *Reusnerus* quoque, qui in suis Genealogiis Ottonis IV. filiam

B

alteram

alteram Mariam nuptam Waldemaro scribit, cum re-
tè illum improlem decessisse *Cranzius* tradat *Saxon.*
lib. 9. c. 21. *Johannes* vero *Isaacius Pontanus*, dum in-
notis ad histor. Daniæ p. 806. corrigere, quæ prius scri-
pserat, vult, magis se confundit.

XI.

Possumus igitur in hae splendidissima Ducum no-
strorum familia, tot Imperatores, totque Reges nu-
merare, quot non temere in ulla alia Principum totius
Germaniæ: Id quod ex addita tabula apparebit, in
qua diversis literis Reges & Imperatores notati sunt,
omissis tamen iis, quos ex Carolino Stemmate incer-
tos inter majores haberi dixi.

XII.

Inter illos quidem, qui, serie masculina non in-
terrupta, ab Atestinis Principibus orti sunt, solus,
omnium Historicorum unanimi consensu, *Otto IV.*
Henrici Leonis filius, in Imperatorum Romanorum
catalogo collocatur: Quid obstat tamen, quominus
Fridericum Ducem, Magni Torquati filium, in Im-
peratorem à pluribus Electoribus electum, quamvis,
cæde interveniente, capeffere imperium nequiverit,
Imperatoribus annumeremus? Non desunt etiam,
qui Regibus adscribant *Ottonem*, *Henrici Junioris* fi-
lium, *Henrici Mirabilis* Nepotem, quippe, qui ux-
orem habuit *Johannam*, *Siciliæ Reginam*, *Roberti Ducis*
Calabriæ ac Regis Siciliæ ex filio *Carolo* neptem & hæ-
redem, qui que, obstante licet Romano Pontifice *Ur-
bano*, post triennii captivitatem, & cædem *Johannæ*,
universa *Sicilia & Apulia* potitus est, quamvis deinde,
rebus

Otto

1171
1172
1173

1174
1175
1176
1177
1178
1179
1180
1181
1182
1183
1184
1185
1186
1187
1188
1189
1190
1191
1192
1193
1194
1195
1196
1197
1198
1199
1200




AZO Ateftinus

Otto

Saxonum Princeps qui German. Regnum sibi delatum recusavit

Henricus Auceps Rex Germanorum



Handwritten text in the left margin, possibly a list or index, including the word "a" at the top and "b" at the bottom.

Otto

Handwritten text, possibly a title or header, including the words "Ottonis" and "regni".

Handwritten text, possibly a name or title, including the words "Ottonis" and "regni".

Otto III

Handwritten text, possibly a name or title, including the words "Ottonis" and "regni".

Otto IV

Handwritten text, possibly a name or title, including the words "Ottonis" and "regni".

Otto V

Handwritten text, possibly a name or title, including the words "Ottonis" and "regni".

Otto VI

Handwritten text, possibly a name or title, including the words "Ottonis" and "regni".

Otto VII

Handwritten text, possibly a name or title, including the words "Ottonis" and "regni".



rebus nimium turbatis, senior ipse, utroque regno
cesserit, solo Principatu Tarentino contentus.

XIII.

Verum, missis reliquis, de *Friderico*, ejusque in
Imperatorem electione nunc agere decrevi, cum illa
nontantum propter multas circumstantias, eventum-
que tristem, valde memorabilis sit, sed à plerisque Hi-
storicis, qui Cæsarum res gestas descripserunt, præ-
termittatur; unde & *D. Præses* nuper in publicis le-
ctionibus historiam ejus ex idoneis & minus obviis
monumentis plenius explicuit. *Cuspinianus*, Cæsa-
reus Historicus & orator, in suis de Imperatorum re-
bus gestis egregiis Commentariis, quando ad illa tem-
pora pervenit, quibus Wenceslao Imperium abroga-
tum, aliique illi suffecti sunt, non tacet *Fridericum*
Brunsvicensem, sed egregia de ejus electione annotat,
ut dein videbimus. *Petrus Lambecius* Consiliarius
& Bibliothecarius Cæfareus, antepauos annos demum
mortuus, in addit: ad *Diarium Sacr. Itin. Cellensis*,
ab Augusto nostro Leopoldo I. suscepti p. 286. cum
Fridericum Pulchrum Austriacum ex Cæsarum Cata-
logo à multis male excludi demonstrasset, de *Friderico*
nostro idem asserit. Verba ipsa ob celeberrimi Viri
magnam eruditionem, & in rebus quoque Historicis
authoritatem, huc facientia describam: *Catalogo Im-
peratorum Romanorum non est excludendus, quippe,
cum certo constet, si quis secundum constitutionem S. Im-
perii Romani, quæ Aurea dicitur Bulla, vel ab omnibus
Electoibus, vel à majori & potiori eorundem parte in
Imperatorem rite eligatur, ipse autem iis consentiendo ob-
latam S. Imperii commissionem acceptet, & pro Imperatore*

se gerens, universis & singulis Principibus Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus omnia ipsorum jura, privilegia, dignitates, consuetudines sine mora ac contradictione confirmet, hoc facto, etsi ne Germanica quidem adhuc subsecuta sit coronatio, revera tamen illum jam esse Imperatorem, ideoque haut injuria titulo quoque Imperatoris condecorandum esse. Et ne quis objiciat, Imperatorem *Fridericum*, Maximiliani Patrem, (qui, uti communiter vocatur, ipse quoque se *Fridericum Tertium* scripsit) hac appellatione tam *Fridericum Austriacum*, quam *Fridericum Brunsvicensem* ex numero Imperatorum voluisse excludere, *Friderici V.* nomine alias insigniendum, docet, id ipsum factum tantum esse, respectu Coronationis Pontificæ, quam priores duo *Friderici I. & II.*, non autem posteriores duo, *Fridericus Pulcher & Fridericus Brunsvicensis*, ipse autem tertio loco consecutus sit.

XIV.

Fridericus autem, de cujus nunc electione & cæde dicemus, Patrem habuit Magnum Torquatum, reliquosque majores, qui in tabula superiori designantur. Id quod quidem ex nostris monumentis certissimum est; ut facile pateat, aliud egisse Virum longe doctissimum *C. A. Rupertum in obser. ad Synopsin Besoldi. p. 704.* Recte quidem ibi castigat *Besoldum*, quod *Fridericum* legitimum Principem in Synopsi minori omiserit, & contra nominaverit Judocum Barbatum Marchionem Brandenburgensem, quem Moguntinus & Coloniensis Cæsarem quidem dixerint, sed consilio inani: in genealogia tamen *Friderici* errat, dum eum Henrici Palatini, qui Ottonem IV. Imp. fratrem habuit,

buit, trinepotem vocat, Henricus enim Palatinus ille filios non habuit, ejus vero frater Wilhelmus, Craffus dictus, familiam propagavit, *Friderici* tritavus.

XV.

Pater ejus Magnus, Junior, Torquatus dictus, uxorem duxerat Catharinam, Waldemari, Marchionis Brandenburgici, filiam, ex qua, præter quinque filias, illustribus omnes matrimoniis elocatas, quatuor filios suscepit, *Fridericum*, de quo nunc agimus, *Bernhardum*, *Henricum* & *Ottonem*, ex quibus cum *Otto*, Episcopus primò Verdensis, dein Bremensis, ob religionem uxorem non duxisset, *Fridericus* quoque prolem masculam non haberet, *Bernhardus* & *Henricus* familiam serenissimam propagarunt, *Bernhardus* quidem conditor illius Lineæ, quæ in *Friderico Ulrico* an. hujus seculi 34. desiit, *Henricus* vero alterius, quæ hodieque in omnibus Ducibus Brunsvicensibus & Lynæburgensibus floret.

XVI.

Erant autem tum difficilia tempora, & Magnus Torquatus toto regiminis suæ cursu plurimis erat turbis implicitus, imprimis propter Ducatum Lynæburgensem, quem post mortem Wilhelmi Ducis sine masculino hærede ad se pertinere judicabat, occupante illum, uxoris Elisabethæ, Wilhelmi filia, nomine Alberto Duce Saxoniae & Angariae, cui favit Imperator Carolus IV. eique tandem, Magno Torquato proscripso, Ducatum Lynæburgensem in feudum contulit. Mortuo autem Magno Torquato, Albertus Dux modo dictus viduam ejus Catharinam duxit, unde, mortuo Vitrico, à Wenceslao Saxoniae Duce, Ly-

næburgensem Ducatum occupante, non pauca per-
pessi sunt filii. Favittamen fortuna, ut confœdera-
tos contra se Principes Fridericus cum Fratre suo Hen-
rico memorabili prælio Winsenæ ad Alleram vince-
ret, multis captis, quibusdam occisis, in quo prælio
Urbs Brunsvicensis auxiliares copias & comneatum
submisit, fidelemque operam Friderico Domino suo
præstitit, victoriæ memoriâ etiam lapidi templi Discal-
ceatorum in urbe sua incisa. Impetrata autem est
anno 1388. die corporis Christi.

XVII.

Quos tamen bellum ad pacem ducere non pote-
rat Principes, eos tandem amica conjugia sibi iterum
conciliarunt. Duas enim Wenceslai Ducis Saxoniae
& Electoris sorores, Annam Fridericus, Margaretam
Bernhardus uxores duxerunt, & ita Ducatus Lynæ-
burgensis ad suos veteres Dominos, post septendecim
annorum intervallum, rediit.

XIIX.

Sæpius verò etiam aliàs insignis fortitudinis spe-
cimina ediderat *Fridericus*, recuperato feliciter Wolfen-
buttelo ann 1384. redactis in ordinem Nobilibus in
Episcopatu Hildesiensi, interposita etiam alibi aucto-
ritate sua ad sopiendas lites inter Dominos de Heldrun-
gen & urbem Erfortensem obortas. Ut ita rei mili-
taris, prudentiæ & justiriæ insignis fama de Frideri-
co passim in Imperio cresceret, illique toti moderan-
do dignus à multis judicaretur.

XIX.

Accidit, ut Wenceslai ignavi Imperatoris pertœsi
tandem Principes, *propter indecentes ac detestabiles*
ejus

ejus in imperando mores ac actiones, nec non Ecclesie orbisq; Christiani defectus, incommoda atq; dissidia, gravissimas item membrorum sacri imperii avulsiones, diminutionesq; contra nominis sui dignitatem damnose factas fieriq; permissas (verba ipsissima Johannis Archiepiscopi Moguntini in sententia exauctorationis & privationis Wenceslai ap. Christianum Urstisium Histor. German. part. 2. in fine) de illo sæpius monito, correctionemq; non moliente, exauctorando cogitarent, despicientes, quem alium tantæ parem rei eligerent. Comoverant se iterum fata Germaniæ (inquit eleganter celeberrimus Bœclerus in incomparabili Panegyrico, Serenissimo gloriosæ memoriæ AUGUSTO Duci Brunsvic. & Lynæb. Germaniæ Nestori ante triginta octo annos scripto) & ruebat imperium super Imperatorem, cum è Magni Torquati sobole Fridericus ille, cunctis ingenii dotibus, animiq; artibus eminentissimus Princeps, unus maximè visus est idoneus, qui pollutam Wenceslai probris Rempublicam pristino nitore vindicaret.

XX.

Agendum autem est de hac Electione Friderici tanto accuratius, quantò vulgò indiligentius ab Historicis proponitur, multique illam plane omittunt, Rupertinæ electionis, quæ postea facta est, tantum ad annum illum 1400. memores. In eo tamen omnes, qui ejus meminerunt, concordēs sunt, factam esse Francofurti ab Electoribus in conventu celebri non Eorum tantum, sed aliorum quoq; Principum, & quidem Mense Majo. Ex quo quidem statim patet, non satis distinctè rem proponere, qui ita eam narrant, ac si
Wences-

Wenceslao deposito subrogatus sit Fridericus. Solemnis enim illa depositio Wenceslai per Moguntinum demum publicata est mensis Augusti 20. die, cum Electio *Friderici* ad Majum Mentem pertineat. *Quaesi-verunt scilicet*, ut verbis utar *Gobelini Personæ*, illis temporibus ferè coævi, qui posset & vellet contra *Wenceslaum regnum vindicare, defendere & reformare*, ipsum verò Wenceslaum nondum exauctoraverant.

XXI.

Jam autem diu ante Principes Electores diversis ac mutuis literis Imperii res diligentius discusserant, pluresque deliberationes inter se habuerant, ut rectè notat *Cuspinianus*: meminitque etiam *singularium tractatum plurimorum* Gobelinus: cum tandem missis literis Principes quoque alios convocarunt. At de illa convocatione valde notabile est, quod habet *Cuspinianus*: scilicet, eam non esse factam à Moguntino Archiepiscopo & Electore, sed à Ruperto Palatino, qui, ut nascenti occurreret calamitati, ex officio suo imperii Principes ad publica convocavit comitia. *Nondum enim, inquit, Aurea Bulla Caroli firmata erat, qua bodie Electores in convocandis Principibus utuntur, qua Moguntinus, defuncto Cæsare, pro novo substituendo, imperii proceres accersit.* Est autem magna apud me authoritas *Cuspiniani*, toties Oratoris Cæsarei, & rerum Imperii periti, ideoque negare equidem hoc nec ausim, nec velim: eodem tamen anno eundem Moguntinum Archiepiscopum sui officii, juxta præscriptum *Auræ bullæ*, satis fuisse memorem, docet sententia exauctorationis Wenceslai ab ipso publicata, cujus

jus ante memini, ubi *sufficienter exoratos coelectores* id est convocatos, narrat. XXII.

Interim ex Electoribus constat in comitiis fuisse, præter Johannem Archiepiscopum Moguntinum, Rupertum Palatinum, & Rudolphum Electorem Saxoniae: de aliis tacent Annales. Adfuerunt præterea alii multi Principes Imperii, cum solemnia essent comitia. Quod si supponimus, omnes illos, qui Friderici, cum Francofurto redux ad Frislariam occideretur, Comites nominantur, Comitiis quoque Francofortensibus interfuisse, præter Fridericum, Bernhardum Ducem Brunswicensem, fratrem ejus, Conradum Episcopum Verdensum, Sigismundum Principem Anhaltinum, Comites de Barby, de Scrapelau, de Honsteine, de Schwartzenberg ab Historicis seu Annalistis nostris memorari invenio.

XXIII.

Fridericum igitur ipsum his Comitiis interfuisse certum est, ut de salute publica Imperii una cum aliis consultaret. Unde in Rythmis vulgatis & à Cuspiniano quoque productis, *pro Republica Francofurt. pervenisse* scribitur: ut nesciam, quid in mentem venerit Historico rerum Saxoniarum celebri, Alberto Crantzio, quando Saxoniae suae lib. x. c. 9. primò narrat, *Robertum* Ducem Bavariae, Electoribus Imperii Francofordiae congregatis, Wenceslao deplorato & destituto, in Regem Romanorum esse electum, & dein addit, *ad hujus Principis* (sc. Ruperti) *salutationem ascendisse Fridericum Ducem Brunsvic.* Errat enim graviter, quamvis sequaces habeat, *Browerumq; Annal. Trever. l. 18. p. 269.* aliosque in errorem induxerit; Francofurtensia namque Comitia Mense Majo habita

bita fuerunt anno 1400. & in iis non Rupertus in Re-
gem electus est, sed Fridericus, & quidem die Urbani:
postea sententia Exauktionis Wenceslai pronun-
ciata est sub castro Lonstein ad Rhenum d. 20. Mensis
Augusti, cui subscripsit Rupertus, tandemque die
Bartholomæi, id est 24. Augusti, ut habet vetus
Chronicon Coloniense, electus est Rupertus, mortuo
jam dudum Friderico, ut ad illum salutandum accedere
non potuerit. Id quod discere *Cranzius*, si non ali-
unde, ex *Gobelino* potuisset, quem sequi alias non in-
frequenter solet.

XXIV.

In Francofurtensibus igitur Comitibus electus est
Fridericus, ab iis, in quorum manu Electionis nego-
tium erat, quamvis deinde publicatio non facta, sive
quod nondum exauktionatus esset publico decreto
Wenceslaus, sive, quod publicationem impediret Mo-
guntinus Elector. *Cuspinianus* discrete scribit *designatum*
esse Regem. Chronicon Saxonicum vetus, quod verna-
cula lingua incerto auctore Moguntiae a. 92. seculi
decimi quinti publicatum est, ineptè vero deinde
Magdeburgi versum & editum, quod *vulgaris* & *pi-*
duratae Saxonum historiae nomine citat *Paullus Langius*
in Chron. Citicensi. in princ. Chronicon illud, inquam,
electionem *Friderici* factam, discrete asserit, publica-
tionem vero impeditam à Moguntino Electore o-
dio erga Fridericum: unde factum, ut quidam An-
nalistæ prætereant planè hanc *Friderici* electionem,
& *Gobelinus* Persona quoque *Electionis negotium non*
plenum pro tunc sortitum effectum, & in diem alium fu-
isse

isse prorogatum scribat, Principibus à se invicem discedentibus.

XXV.

Discessit igitur *Fridericus* quoque, amplissimo Comitatu, *reversurus ad coronationem*, ut habet *Cuspinianus*. Ex quibus Principes Comitesque, juxta Annalium ductum, jam tum supra *th. xx.* numeravi, quibus plures alios splendoris & ministerii causa adjunctos fuisse, nullum est dubium. *Autor der Waldeckischen Ehren-Rettung part. 1. c. 7.* ex antiquo Diario nongentos & triginta equites in comitatu illo fuisse refert.

XXVI.

Factum autem est, ut hi in via publica violenta manu invaderentur ab aliis inopinatò, & partim captivarentur, partim occiderentur; quod ultimum *Friderico* quoque contigit. Locus invasionis & cædis collocatur in *Hassia*, *haud longè à Frislaria*, aut, ut alii loquuntur, *inter Amsbrun & Frislar*, vel ad parvum pagum *Engelis*, non longe à *Frislar*, in territorio *Hassia-co in planitie*: ubi in ipso loco cædis *Friderici* erectam fuisse *altam crucem lapideam*, notat *Chronicon Hassiæ* p. 221.

XXVII.

Diem infelicis casus exprimunt *Engelhusius*, *Chronicon Saxonicum vernaculum*, aliique, diem scilicet *Bonifacii*, *Vigiliam Pentecostes, v. Junii*, & adducit eo nomine hos Rythmos *Engelhusius*.

Est morti deditus de Brunswig Dux Fridericus.
Vigilia festi pentag, die Bonifaci.

XXIIX.

Autores hujus invasionis memorantur diversi, ex quibus alii consilium dederint, ipsi absentes; alii armata manu invaserint; alius denique cædem ipsam Friderici peregerit. Quæ omnia distinctè considerabo, & quid pro innocentia illorum à nonnullis adducatur, in medium proferam, & examinabo.

XXIX.

Consilii dati nomine male apud omnes penè illorum temporum scriptores audit *Johannes*, Archiepiscopus & Elector Moguntinus. Filius is erat Adolphi Comitis de Nassau, ex Anna, Friderici V. Comitis Norimbergensis filia, in quartum jam annum Archiepiscopus Moguntinus, quam eandem dignitatem patruus quoque ejus Gerlacus habuerat. Suspectus autem non vulgo tantum fuit, unde varii in eum versus, & in totam Moguntiam (quos *Cuspinianus* alique habent) jactati; sed tantum quoque apud Friderici fratres suspicio illa pondus habuit, ut gravi bello, de quo deinde, eum peterent, omnibusque modis se purgare, & innocentiam suam probare teneretur. Et verò Henricus Comes Waldeccius, quem invasorem fuisse deinde docebitur, tum temporis Moguntino à consiliis erat, & arcis Ruffeberg ab eo præfectus, seu arcis illius advocatus, ut est apud *Gobelinum*, qui ibi scribit, Waldeccium asseruisse, *se de mandato ejus (Moguntini) hoc fecisse.*

XXX.

Solus, quod sciam, Crantzius l. c. generalius loquitur; *Ecclesiasticos*, inquit, *Principes rei fuisse conscios*, deinde tamen & ipse Moguntinum solum Archiepisco-

chiepiscopum nominat, & accusatum refert. Ad-
dunt vero scriptores, veteres inimicitias intercessisse
inter hunc Archiepiscopum & Fridericum, quo no-
mine etiam electioni hujus ille obstiterit, id quod
Chronicon Saxonicum narrat. Quales tamen inimi-
citiæ fuerint, & unde, nemo addit, ideoque *Crantzius*
in antiqua tempora regreditur, cum Principum ani-
mi diu memores injuriarum sint, putatque, Johan-
nem Archiepiscopum voluisse vindicare Gerardum
Archiepiscopum Moguntinum, quem Albertus Dux
Brunsvicensis, proavus Friderici, captivum tenuit,
nec, nisi magno ære numerato, dimisit.

XXXI.

At verò ab aliis defenditur, excusaturque Mogun-
tinus, imprimis à *Nicolao Serrario* *Rer. Moguntiac. l.*
v. p. 868. qui tribus argumentis utitur. Primum enim ex
M^o Sto libro, Johannem solemne jusjurandū præstitisse,
cujus utiq; in occultis criminibus purgandis magna
vis sit, scribit: quod coram Principibus factum *Gobe-
linus* notat. Deinde ipsos illos, qui cædis comperti,
Waldeccium, aliosque, de innocentia illius testari, in
cujus fidem tabulas ex Moguntino Archivo producit.
Denique à iudicis ipsius, Ruperti Imperatoris, senten-
tia, quam Norimbergæ anno 1403. Sabbato post
beatæ virginis purificationem, in fontes tulerit, ar-
gumentum sumit. Illas tamen tabulas, eodem in
Archivo extantes, non producit, quod optandum
fuiſſet.

XXXII.

Cogor igitur hæc suo loco relinquere, & *Serrario*

C 3

hæcte-

hactenus fidem habere: quamvis non temerè persua-
dere mihi possim, *Friderici* fratres sine omni causa
ex sola suspicione Moguntini terras, quod dein narra-
bitur, invasisse. Nec tamen admittere etiam possum,
quod *Job. Bange in Chronic. Thuring.* ad ann. 1401.
scribit, Fratres *Friderici* invasisse terras Moguntini, ea
de causa, quod fratris eorum *Friderici* electionem in
Cæsarem impedivisset.

XXXIII.

Doctissimus *Autor* der Gräflichen Waldeckischen
Ehren-Rettung p. 1. c. 7. provocat ad litteras Archie-
piscopi Moguntini, datas anno 1400, dominica
proxima ante diem B. Margaretæ, quibus Waldec-
cius propter hoc factum Archiepiscopo reconcilietur,
unde colligit, Archiepiscopi jussu Waldeccium id non
fecisse. Verum, tabulis ipsis non productis, iudicium
suspendo.

XXXIV.

De Waldeccio Comite res certa est. Fuit is Hen-
ricus, Henrici, Ferrei dicti, filius, Ottonis nepos, Hen-
rici pronepos, qui uxorem habuit Elisabetham Ber-
gensem. Et hic quidem non inter consiliarios, sed
ipso aggressores collocatur. Nec negavit factum,
uti patet ex iis tabulis, quibus à Rudolpho Electore
Saxoniae, Balthasare itidem, & *Friderico* Landgrafis
Thuringiae, & Marchionibus Misniae veniam impe-
travit, publicatis in der Gräfl. Waldeck. Ehren-Rettung
N. 17. 18. aliis item tabulis; quibus Archiepiscopum
Moguntinum absolvunt ab hac cæde, editis à *Nicol.*
Serrario libr. jam tum citato.

XXXV. Nec

XXXV.

Nec tamen Historici ullam privatam adducunt causam, quare Waldeccius Comes illam invasionem fecerit, nisi quod instinctu, seu jussu, Moguntini Archiepiscopi, cujus arcis Rostenberg tum præerat, fecisse, plerique memorent. At illud jam dubium reddidimus. Juxta Annalistas igitur nullam causam habuerit.

XXXVI.

Solus doctissimus *Autor Apologie Waldeccianæ* sæpius memoratæ aliam causam gravem probabiliter adducit. Scilicet, ex Ottone Duce Brunsv. & Lynæb. & conjuge ejus Margareta Meclenburgica natam filiam Mechtildin anno 33. seculi decimi quarti Henrico Comiti Waldeccensi conjugem datam: Hinc jus sibi ad Ducatum Lynæburgensem arrogasse, & mortuo Duce Ottone, Comites Henricum modo dictum, filiumque & nepotem, Ottonem & Henricum, jus suum contra Wilhelmum, successorem & possessorem Ducatus Lynæburgensis, apud Carolum IV. Imp. urfisse, eo eventu, ut per Decreta Actores, Comites Waldeccii, in Ducis Wilhelmi terras ratione centum millium Marcarum argenti puri immisionem impetrarent, subsequuta deinde proscriptione Ducis Wilhelmi. Enata postea, Wilhelmo mortuo, de successione lite inter Duces Brunsvicenses & Saxoniam Angariaeq; cum Comites Waldeccii jus suum persequi propterea non possent, de capiendis adversariis, diffidatione præmissa, consilia agitasse, & hinc ortam illam tristem *FridERICI* cædem. Ex quibus modo memoratus eruditus *Autor Apologie* deinde deducit, fuisse aper-
tum

tum praelium, non verò insidias: idque probat ratione causæ, temporum, situs & loci, confligentium cohortium, & tandem animi & intentionis.

XXXVII.

Et priora quidem illa recte se habent, nostrisque etiam Annalibus non ignotum est, Prætensionem à Comitibus Waldeccensibus in Ducatum Lynæburgensem propter illam Mechtildim factam esse. Antamen illa invasio hoc nomine, & ratione temporum, satis excusari possit, & cur illum Illustrem cœtum, cum quo toto lites non erant, invaserint, nunc non disputo: sufficiat, Henricum Waldeccium Comitem hujus invasionis autorem esse, omnibus fatentibus.

XXXIIX.

Sed memorantur præterea alii, qui *Fridericum*, ejusq; Comites invaserint, cædemq; ipsam patrarint, nempe *Fridericus Hartingshusius* & *Cunomannus Falckoburgius*, milites seu Equites aurati. *Leerbek in Chron. Schaumb.* ad ann. 1400. *impios castrenses de Badberge* nominat, qui an iidem sint, cum modo dictis, an diversi, nescio. Fuisse autem non parvam multitudinem illorum, inde est conjicere, quoniam ab adversa parte millenarium ferè numerum impleverunt, illi autem superiores fuerunt, & hos captivarunt.

XXXIX.

Pugna ipsa vehemens fuisse scribitur, fortiter pugnantibus & contra invasores se defendentibus Principibus, cum suis. Rudolphus Elector Saxoniae, filius Wenceslai, cujus sororii Duces Fridericus & Bernhards, captus est, cum prius vulneratus fuisset. Conradus

us Soltau Episcopus Verdensis, princeps doctissimus,
& *S. Theologiae Doctor*, ut *Engelhusius* notat, itidem
captus est. Non pauci quoque alii capti sunt, usque
ad quadringentos. Sigismundus Princeps Anhalti-
nus, aliquot aggressoribus sua manu jugulatis, eva-
sit: At fortissimus Princeps *Fridericus*, cum se dedere
hostibus nollet, transfossus est gladio, & quidem à di-
cto *Friderico Härtinghusio*, quod disertè notat *Chro-
nicon Saxonicum*, aliiq̄ue.

XL.

Ita periit magno cum luctu omnium comitum
suorum optimus Princeps, estq̄ue à suis è loco cædis
deportatus in Monasterium Wibrechtshufanum, ibi-
que corpus, more apud Principes recepto, exente-
ratum, & exempta viscera in Choro ante summum
altare, in terram recondita, & singulari lapide tecta
sunt. Inventa ibi fuit ante plures annos lamina ex
orichalco, in qua duo Leopardi, Ducis insignia, in
qua hæ etiam litteræ legi adhuc potuerunt. *A.
M CCCC. Fridericus Dux Brunsvicensis*. Deportatum
tamen deinde reliquum corpus Brunsvigam, ibique
in Cathedrali Ecclesia sepultum, quod itidem notat
Chronicon Saxonicum vetus.

XLI.

Quid reliquis factum sit, non satis accuratè à
scriptoribus annotatur. Dimissos tamen omnes è
captivitate sua ab Henrico Waldeccio, spoliis restitu-
tis, notat *Gobelinus*, & cum eo alii. Et tum, quan-
do è captivitate demissi, videntur tabulæ illæ da-
tæ à Rudolpho ipso, Balthasare item, & Friderico,
Landgrafis Thuringiæ & Marchionibus Misniæ, Si-
gismun-

D

gismun-

gismundo quoque & Alberto Principibus Anhaltinis, in quibus Henricus Comes Waldeccius, Fridericus Hartinghusius, Cunomannus Falckenburgius & reliqui consortes, venia accepta, plene reconcilian- tur, productis in *Apologia Waldecciana* sæpius citara N. 17. & 18.

XLII.

Non tamen idcirco statim etiam cum Ducibus Brunsvicensibus, *Friderici* occisi fratribus, res transacta est, ipsumque factum mansit impunitum. Jam tum enim supra memini, Rupertum Imperato- rem inquisitionem instituisse, Archiepiscopumque Moguntinum coactum se juramento purgare, alios etiam Moguntinum purgasse, & tandem Norimber- gæ ann. 1403. triennio ferè post factam cædem, sen- tentiam à iudice Cæsare in fontes esse pronunciatam. Quæ si ex Archivo Moguntino à *Serrario*, qui ibi extare scribit, producta fuisset, de multis nos erudi- isset, quæ nunc ignorare cogimur.

XLIII.

Autor quidem *Apologiae citatus*, probare quo- que vult, inter Serenissimam Domum Brunsvicen- sem & Waldeccensem rem esse compositam, ex eo, quod deinde Albertus & Philippus Duces Brunsvi- censes uxores ex Illustri Domo Comitum Waldeccio- rum sibi asciverint; Id tamen post sexaginta amplius annos factum est demum. Neque verò quisquam negare potest, compositam esse deinde rem omnem, interveniente imprimis Cæsarea sententia: at tribus & amplius integris annis post mortem *Friderici*, Fratres ejus, Duces Brunsvic. & Lynæb., Henricus imprimis,

mis, cum aliis confœderatis Principibus, bellum grave cum Moguntino Archiepiscopo & Comite Waldeccio gesserunt, aggressoresque persecuti sunt, necem fratris ulturi. De quo bello, cum Annales nostri pleni sint, ego quoque nonnulla hic addam.

XLIV.

Scilicet altero post cædem factam anno, Henricus Dux Brunsvicensis, Friderici frater, magnum exercitum coegit, in quo tredecim millia armatorum fuisse notat Engelhusius. Confœderati autem cum ipso erant, & copias suas cum eo conjunxerant, præter Fratres, Ducem Bernhardum & Ottonem Episcopum Bremensem, (non Hildesheimensem, ut male *Cuspinianus*.) Hermannus Hassiæ Landgrafius, & fere omnes Duces, Comites & Barones Saxonie, ut inquit *Gobelinus*. Ottonem Ducem de Leina, ex eadem familia, adfuisse, Crantzius scribit l. 10. *Sax.* 20. Qui urbis Heiligenstadii ad Geisledæ & Leinæ fluentia obsidio inter fuerint, eorum distincta memoria servatur in versibus, productis à *Cl. Gudeno histor. Erfurt. l. 2. p. 127.*

De Brunsvik Henrich Dux, Otto Princeps illustris,

Herman Hassorum, Balthasar Princeps Thuringorum,

Marchio de Missen Wilhelmus cum sua turma, Anhalt, Mansfelt, Reinstein, Querfurt, Gleichen, quoque Honstein,

Alii quam plures hanc urbem circumvallantes.

D 2

Cum

Cum autem variæ & diversæ fuerint expeditiones, qui quolibet tempore adfuerint, distinctè dicere non possum, continuato per aliquot annos bello. Unus, quod sciam, *Engelhusius* adfuisse quoque Henrico memorat *Regem Sveciæ*, quem Albertum, Ducem Meclenburgensem, fuisse arbitror. Quamvis enim hujus expeditionis tempore Rex Sveciæ fuerit Ericus Pomeranus, tamen Albertus Meclenburgicus, qui quondam Rex Sveciæ fuerat, & à Margareta Regina eo exclusus, isto nomine regio adhuc appellabatur. Tanto autem similius vero est, Albertum hunc indigitari ab Engelhusio, quoniam is *FridERICI* sororem, Magni Torquati filiam, Helenam, uxorem duxerat. *Cl. Spenerus* enim corrigendus hic est, quando Albertum Sveciæ Regem jam ann. 1394. obiisse scribit *Sylloge Genealog. p. 712.* cum ejus codillos duos anno 1409. datos adhuc referat *Isaac. Pontanus. hist. Dan. p. 537.* satisque constet, eum diutius adhuc vitam produxisse.

XLV.

Vis autem belli illius incubuit in Moguntinum & Waldeccium, quorum terræ vastatæ sunt. Cuspinianus paucis: *Moguntinos ferro & igne vastavit (Henricus) ut etiam hodie cernantur ruinae*: Videtur autem magnus ille exercitus, qui prima vice irrupit, propter commeatus inopiam, non potuisse ibi subsistere, ideoque dilapsus esse, quod notant *Engelhusius & Gobelinus. Chronicon Saxonice. vernaculum* addit, Principes cum exercitu suo expectasse Moguntinum, qui se venturum sæpius significaverat, non
venisse

venisse autem, & ita Principes se & sua consumpsisse.

XLVI.

Redintegrarunt autem sequentibus annis bellum, notatque ad ann. 1403. *Gobelinus*, illud perseverasse inter Henricum Ducem de Luneborg & Landgrafium Hassiæ ab una, Archiepiscopum verò Moguntinum ab altera parte, & *Principes castra quaedam ipsius Archiepiscopi potenter cepisse, nec illum valuisse eis resistere.* Obsessio autem urbis Heiligenstadii, de qua pluribus agit *Gudenus* l. c. refertur ad ann. 1404.

XLVII.

Interim, promulgata Cæsaris Ruperti in fontes sententia, tandem videntur animi pacati, & discessisse quoque Principes, cum belli sumptibus nimium gravarentur. *Chronicon enim Saxonicum vernaculum*, & ex eo alii, Duces Brunsvicenses magno ære propter hoc bellum gravatos fuisse memorant, & oppignorasse tum Senatui Brunsvicensi arces & præfecturas nonnullas, & quidem *Assenburg*, inque ipsa urbe *Monetam* & partes urbis, **Oldewick un Sack** ut habent ipsa verba vernacula.

XLVIII.

Quomodo res transacta sit, & quibus conditionibus pax facta, non referunt Annales. *Nicolaus Serrarius* quoque ex Archivo Moguntino noluit producere sententiam Cæsaris in fontes latam, ideoque qui & quomodo condemnati sint, & cui supplicio destinati, ignorare cogimur. *Hartingsbusum* quidem, à quo occisum esse *Fridericum* dixi, tandem captum

esse ab Henrico Duce, & dissectum in quatuor partes
rotæ totidem in locis impositum. (un leyt en leggen
up veer ende up ein rad) scribit *Chronicon Saxoni-*
cum vetus vernaculum picturatum, quod sæpe cita-
vimus, & illius solius fide videntur id referre, quot
quot referunt. Dubites tamen fortassis hac de re. Nam
cum arcem Gebeldehusen, in qua erant, qui occide-
rant *Fridericum*, occupassent Principes, illi evasisse
memorantur à *Crantzio* aliisque: & *Autor Apologiae*
Waldeccianæ illum *Hartinghusium* diu deinde in mini-
sterio Comitis Waldeccii fuisse, ex *Cassellano* quoque
Chronico probare nititur.

LLIX.

Et ita quidem se habet optimi Ducis *Friderici*
historia, uti ex Annalibus colligere illam potui. Lau-
dant Principem omnes à virtute bellica & prudentia,
justitiæque amore. *Cuspinianus* scribit, omnino dignum
fuisse, qui imperii habenas tractaret, bellicosum & pruden-
tem, nec minus *Albertus Crantzius Saxon. l. 10. c. 19.*
vocat optimum & sensatissimum Principem, & qui multo
labore ad justitiam & pacem contenderit, dignissimum
imperio. Ut facile hinc æstimari possit, quanto cum
damno publico, quantoque luctu, non suorum tan-
tum, cognatæque gentis, mortuus sit, cum etiam
tam multi Principes illius necis vindicandæ causa
coadunati per plures annos bellum gesserint.

L.

Et verò dolendum, tantum Principem mortuum
quoque sine masculis hæredibus. Uxorem, ut supra
jam tum innui, cum alio respectu, tum pacis cum vi-
cina Illustri Domo Saxonica, redintegrandæ causa,
An

Annam duxit, filiam Wenceslai ducis Saxoniae, quae ab ipso vidua relicta, dein Balthasari Landgrafio Thuringiae Ann. 1404. nupsit, cum qua non quidem infœcundum conjugium habuit, filias tamen tantum duas suscepit, *Annam & Elisabetham*.

LI.

Annam Fridericus senior, Dux Austriae, Comes Tirolis, mortua prima uxore Elisabetha, Ruperti Cæsaris filia, copulari sibi fecit, ex eaque sustulit Sigismundum Archiducem Austriae, Wolfgangum, Margaritam & Hedewigen: cum quibus omnibus liberis suis in Monasterio Stams sepultam, notat *Cuspinianus*, qui omnium ætatis suae religiosissimam mulierem fuisse scribit, uti à mira pulcritudine non satis eam commendare possunt Annales. Altera *Elisabetha* Comiti de Schwartzburg, quem alii Henricum, *Cuspinianus* Guntherum nominat, matrimonio juncta plures ipsi liberos peperit.

F I N I S.

Corollaria,

I. *Jus Regaliae, seu Jus Regium in Vacantium Ecclesiarum redditus & proventus* (de cujus extensione hodie Christianissimus Rex cum Pontifice Rom. disputat) etiam olim habuisse Imperatores nostros, patet ex Renunciationibus, quas facere, urgentibus Pontificibus, coacti sunt. *Fridericus II.* inter initia quidem Imperii in *Bulla Aurea*, A. 1213. in gratiam *Innocentii III. Papae*, Tutoris & Protectoris sui, data, profitetur, se dimittere abusum illum & refutare, quem in occupandis bonis vacantium

tium.

esse ab Henrico Duce, & dissectum in quatuor partes
rotæ totidem in locis impositum. (un leyt en leggen
up veer ende up ein rad) scribit *Chronicon Saxoni-*
cum vetus vernaculum picturatum, quod sæpe cita-
vimus, & illius folius fide videntur id referre, quot-
quot referunt. Dubites tamen fortassis hac de re. Nam
cum arcem Gebeldehusen, in qua erant, qui occide-
rant *Fridericum*, occupassent Principes, illi evasisse
memorantur à *Crantzio* aliisque: & *Autor Apologiæ*
Waldeccianæ illum *Hartinghusum* diu deinde in mini-
sterio Comitis Waldeccii fuisse, ex *Cassellano* quoque
Chronico probare nititur.

LLIX.

Et ita quidem se habet optimi Ducis *Friderici*
historia, uti ex *Annalibus* colligere illam potui. Lau-
dant Principem omnes à virtute bellica & prudentia,
justitiæque amore. *Cuspinianus* scribit, omnino dignum
fuisse, qui imperii habenas tractaret, bellicosum & pruden-
tem, nec minus *Albertus Crantzius Saxon. l. 10. c. 19.*
vocat optimum & sensatissimum Principem, & qui multo
labore ad justitiam & pacem contenderit, dignissimum
imperio. Ut facile hinc æstimari possit, quanto cum
damno publico, quantoque luctu, non suorum tan-
tum, cognatæque gentis, mortuus sit, cum etiam
tam multi Principes illius necis vindicandæ causa
coadunati per plures annos bellum gesserint.

L.

Et verò dolendum, tantum Principem mortuum
quoque sine masculis hæredibus. Uxorem, ut supra
jam tum innui, cum alio respectu, tum pacis cum vi-
cina *Illustri Domo Saxonica*, redintegrandæ causa,
An

Annam duxit, filiam Wenceslai ducis Saxoniae, quae ab ipso vidua relicta, dein Balthasari Landgrafio Thuringiae Ann. 1404. nupsit, cum qua non quidem infœcundum conjugium habuit, filias tamen tantum duas suscepit, *Annam & Elisabetham*.

LI.

Annam Fridericus senior, Dux Austriae, Comes Tirolis, mortua prima uxore Elisabetha, Ruperti Cæsaris filia, copulari sibi fecit, ex eaque sustulit Sigismundum Archiducem Austriae, Wolfgangum, Margaritam & Hedewigen: cum quibus omnibus liberis suis in Monasterio Stams sepultam, notat *Cuspinianus*, qui omnium ætatis suæ religiosissimam mulierem fuisse scribit, uti à mira pulcritudine non satis eam commendare possunt Annales. Altera *Elisabetha* Comiti de Schwartzburg, quem alii Henricum, *Cuspinianus* Guntherum nominat, matrimonio juncta plures ipsi liberos peperit.

F I N I S.

Corollaria,

I. *Jus Regaliae, seu Jus Regium in Vacantium Ecclesiarum redditus & proventus* (de cujus extensione hodie Christianissimus Rex cum Pontifice Rom. disputat) etiam olim habuisse Imperatores nostros, patet ex Renunciationibus, quas facere, urgentibus Pontificibus, coacti sunt. *Fridericus II.* inter initia quidem Imperii in *Bulla Aurea, A. 1213. in gratiam Innocentii III. Papæ, Tutoris & Protectoris sui, data, profitetur, se dimittere ab usum illum & refutare, quem in occupandis bonis vacantium*

tium.

tium Ecclesiarum Antecessores consueverint committere. Idem tamen deinde, A. 1238, aliter animatus fuit, aliterq; etiam Principes Imperii senserunt. In Diplomate enim ejusdem Friderici II. dato Cremonæ anno memorato, habetur, quod in Curia, dictante sententia Principum, sit obtentum, quod quilibet Imperator vacantibus Ecclesiis omnia usque ad eorundem electionem habere, donec electus ab eo regalia accipiat, debeat. At nihilominus postea A. 1275. Rudolphus I. Imp. confirmatione à Pontifice impetratâ, iisdem, quibus Fridericus II, verbis renunciare juri illi, & abusum appellare coactus est, datis litteris Lausannæ anno dicto. Mirum vero est, eodem tempore Reges Galliæ & Angliæ hoc jus Regaliæ exercuisse, Pontificibus non contradicentibus; solis tantum Imperatoribus nostris, tam de aliis, quam de hoc jure tantas lites esse motas à Romanis Pontificibus. Imò, cum maximis animorum motibus collisi inter se essent Bonifacius VIII. & Philippus Galliæ Rex, non tamen ipsum usum improbarunt Papa, sed abusum tantum, quod scilicet Rex redditus illos non moderatè percipiat, sed immoderatè consumat, ut patet ex ipsis Bonifacii litteris è Bibliotheca Cardinalis Balnei editis, proposita deinde in Articulis Pacis moderatione quadam. In Germanico vero Imperio sublatum in totum jus illud voluerunt Pontifices.

II. Ludovicus Maimburgius, nuperus Historiæ de Lapsu Imperii scriptor, ubi cap. v. de Ottone IV. ex Brunsvic. & Lynæb. Ducum Serenissima Domo Imperatore agit, non in omnibus veritatem assequitur, quam discere potuisset ex Apologia pro optimo Imperatore ante annos sexaginta edita.

Erratum. th. xv. lin. 10. pro Bernhardus l. Henricus lin. 12. pro Henricus l. Bernhardus.

Tom. Vol 3456^a

ULB Halle

3


002 498 413



Sb.

1007





DISSERTATION
FRIDERICI
DVCIS
ET
IMPERATORIS
NUM

NOBILISSIMO AN
DN. HENRICO
MED. D. E. JUSQ
PROF. PUBL. ET

PRÆCEPTOR

PUBLICÆ V
Ad die

ACHAT: W

Typis GEORGI WOL



2
I,
C.
74
SS.
O,
UM
A-
ogr.

